



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **BARCINONENSIS*** CATHEDRALIS ECCLESIA
BARCINONENSIS

AD GRADUM ARCHIDIOECESIS EVEHITUR. Praeceptum illud Christi ut in universum Apostoli abirent mundum
Evangelium praedicaturi omni creaturae (cfr. *Mc.* 16, 15), Nos usque impellit ut, si res ferant, et novas condamus ubique
territarum Ecclesias et sacros illis praeponamus Pastores, Apostolorum operum heredes et successores. Quae cum ita
sint, quoniam de sententia venerabilis Fratris Vidonis Del Mestri, Archiepiscopi titulo Tuscaniensis et in Tanganyikae
territorio Apostolici Delegati, Sacrum Consilium Christianae Fidei Propagandae aliam dioecesim in Tanganyika condi
oportere censuerit, libentissimi Nos quod decretum est accipimus Nostraque auctoritate ratum habemus, haec quae
sequuntur statuentes. Ab archidioecesi Daressalaamensi districtum civilem, cui Mahenge appellatio, separamus, itemque
eam regionis partem Game Reserve per vulgus nuncupatam, quae a fluminibus Kilombero et Marandangu
circumscribitur, atque aliam minorem districtus civilis de Nachingwea partem intra fines archidioecesis Daressalaamensis
comprehensam; ex iisque territoriis cathedralem Sedem condimus nomine *Mahengensem* quam clero natu
Tanganyicano regendam committimus. Constitutae ergo dioecesis hi erunt fines: ad septentrionem, dioecesis
Morogoroënsis; ad orientem solem, archidioecesis Daressalaamensis; ad meridiem, dioecesis Nachingweaënsis et
abbatia «nullius» Peramihöensis; ad occidentem denique solem, dioecesis Iringaënsis. Volumus praeterea ut Episcopus
Mahengensis in urbe vulgo Mahenge dicta sedem domiciliumque suum ponat, episcopalis vero magisterii cathedram in
principe sacra aede, inibi exstante; ut, dum Canonicorum collegium condi possit, Consultores dioecesanos ad normam
iuris eligat, qui consilio et ope assint; ut Seminarium saltem minus sollicita cura pro viribus struat, pueris accipiendis et
educandis, qui ad sacerdotium vocati fuerint. Praecipimus denique ut una cum sua dioecesi metropolitae Archiepiscopo
Daressalaamensis Sedis subdatur, cum obligationibus congruis. Haec quae statuimus ut ad effectum adducantur studeat
venerabilis Frater Vido Del Mestri, quem diximus, sive per se ipse sive per alium delegatum virum, qui sit tamen
ecclesiastica dignitate indutus. Qui vero rem perfecerit documenta de more exarari curet ad Sacramque Congregationem
de Propaganda Fide quam primum mitti. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus;
ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius
Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus
omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius
Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praferant in ecclesiastica
dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic
haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die uno et vicesimo mensis Aprilis, anno Domini millesimo
nonagesimo sexagesimo quarto, Pontificatus Nostri primo.*

IACOBUS A. Card. COPELLO

S. R. E. Cancellarius

GREGORIUS Card. AGAGIANIAN

S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello

Apostolicam Cancellariam Regens Franciscus Hannibal Ferretti, *Protonot. Apost.*

Sylvius Romani, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LVII (1965), n. 3, pp. 209-210 © Copyright 1964 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana